

tur penes id quod formatum, et ideatum reddit. Quando autem aliquid in genere effectus artificiosi, respectu artificis creati, vel in genere entis, et quidditatis non habet diversitatem simpliciter in ratione formabilis, sed solum diversitatem partialem intra eandem formationem, sicut diversæ partes ejusdem parietis, vel columnæ, sic non exigunt diversam ideam simpliciter; nec tamen hæc diversitas, quæ sufficit ad diversas ideas, sufficit ad diversificandum diversos habitus artis, vel scientiæ, quia isti habitus non se habent per modum formæ, quibus res artefactæ, vel scitæ formantur, et distinguuntur inter se, sed solum se habent ut formæ, quibus intellectus perficitur ad cognoscenda illa objecta; potest autem intellectus reducere ad unicam rationem altiore entitates plurium in ratione cognoscibilis, aut dirigibilis, sicut altiori modo, et magis unito dirigit gubernationem regni rex, quam inferior iudex, aut dominus: non potest autem reducere intellectus ad unitatem formas, quibus res in particulari formandæ sunt, quia potius imperfecte formaret, si sub unitate formaret, quæ in se formaliter, et totaliter diversa sunt, quia per hanc formationem non solum intendit intellectus cognoscere, et trahere res ad se sub modo unitatis suæ, sed formare, et constituere sub diversitate quam in se habent. Quod vero genera, et accidentia propria dicantur habere eandem ideam, ideo est, quia cadunt sub unica specie, et quidditate totali, et pertinente ad idem ideatum, cujus genus est pars, et accidentia sunt passionnes.

XLVII. Et hinc etiam patet id quod dicitur in argumento principali, quod sunt plures respectus rationis in arte, et in scientia; et tamen non diversificant illas, sicut respectus

rationis in scientia, et arte solum sunt diversi terminative, et materialiter; sunt autem unum ex parte rationis formalis, et ex parte sui fundamenti, sicut pater respicit plures filios relatione ejusdem rationis: at vero respectus ideales, etiam ex parte fundamenti, sunt diversi, et non solum ex parte termini materialis, quia petunt diversam rationem formandi ex parte ipsius ideæ, quatenus exercet munus, et officium diversæ formæ, licet entitative sit unum.

XLVIII. Ad confirmationem respondetur illos respectus habere se in idea tamquam conditio requisita, ut resultet diversum munus, et officium formæ in ipsa idea, quæ in sua entitate una est, sed multiplex in officio, et ratione formæ, quatenus virtualiter, et eminenter habet esse principium diversarum rerum, et consequenter fundat multipliciter informandi illas, ad quod requiritur tamquam conditio, et applicatio respectus, quo adæquatur, et correspondet illud principium diversis ideatis; et hanc rationem informandi, et officium, seu munus formæ significat idea. Quando autem aliquod nomen imponitur magis ad significandum officium, vel formalitatem alicujus rei, quam entitatem, et realitatem ipsius, tunc multiplicatio seu pluralitas non sumitur ex parte ipsius constitutivi, seu entitativi, sed ex parte ipsius conditionis, vel modi secundum quem fit multiplicatio talis officii, seu formalitatis, sicut in Deo dicuntur esse plura attributa, licet illa non sint nisi una entitas et perfectio, quia ly attributum nominat perfectionem Dei, non absolute; ut est in ipso, sed ut cognoscibilis est a nobis, non per adæquationem ad illam summam eminentiam, sed per multiplicationem conceptuum ad illam. Similiter dicuntur esse in

Deo quatuor relationes reales, licet solum sint tres realiter distinctæ, (nam spiratio activa identificatur cum paternitate et filiatione) propter diversam terminationem, et exiciterum, seu munus referendi, licet entitative non distinguantur nisi tres. Et passionnes entis dicuntur tres, scilicet unum, verum, et bonum, non quia entitative multiplicentur, sed secundum connotationes, et habitudines, non quidem constitutivas entitatis, et realitatis earum, cum sint aliquid rationis, seu requisitas ad exercendum illas formalitates veri, et boni. Similiter ergo cum idea significet exemplar non absolute, quantum ad entitatem, et realitatem suam, sed quantum ad officium, et formalitatem ideandi, et formandi plures res, dicuntur plures ideæ, non quia multiplicentur constitutiva realitatis earum, sed quia multiplicatur officium, et exercitium formandi plura: sicut e converso locus dicitur unus, et immobilis, quamdiu situs, et distantia una est, licet superficies sint plures, quia locus non significat superficiem absolute, sed ut subest illi distantia.

XLIX. Secundo arguitur: Idea est verum, et proprium attributum Dei, cum sit perfectio ejus intrinseca, et in eo existens, pertinensque ad causalitatem Dei; ergo si dantur plures ideæ, dantur plura attributa realiter in Deo, et plures conceptus; quia idea conceptus est. Quod si dicatur omnes ideas esse unum attributum in Deo realiter, licet per rationem sint plures ideæ, sicut etiam sunt plura attributa, contra est, quia hoc modo quilibet beatus videret omnes ideas, sicut videt omnia attributa, quia in re unum quid sunt, et sic videret omnia ideata, quæ sunt omnes creaturæ possibles; tum etiam quia si idea hominis, et

equi in re sunt unum attributum, sicut misericordia, et justitia: ergo sicut est verum dicere quod misericordia est justitia, ita erit verum dicere, quod idea hominis est idea equi, et falsum esset quod alia ratione factus est equus, et alia homo.

L. Confirmatur, quia Deus respicit omnes creaturas unica relatione dominii, et potestatis: omnes enim creaturæ continentur eodem modo in ejus potestate, id est, cum summa dependentia, quia ab ipso possunt annihilari: ergo etiam omnes respicit unica relatione ideæ. Patet consequentia, quia etiam omnes ideæ producunt creaturas eadem actione creativa, quæ subicit illi creaturas summo modo: ergo sicut propter unicam actionem creandi sufficit una relatio dominii, ita propter eandem actionem sufficit una idea eminenter complectens omnia.

LI. Respondetur ideam esse attributum, et conceptum Dei, non absolute ut est in Deo, sed ut subest respectui rationis, et officio formandi plures creaturas. Et sic non multiplicatur idea in ratione attributi, vel conceptus, sed in officio, et munere formæ exemplaris ad res ideatas. Quod non sit attributum absolute, constat ex his quæ docet D. Thomas in quæstione III de verit. art. II ad II, ubi inquit quod: « Attributa essentialia non habent aliquid de principali intellectu suo præter essentiam creatoris; unde etiam non plurificantur: at vero ideæ de suo principali intellectu habet aliquid præter essentiam; in quo etiam completur ratio ideæ, ratione cujus dicuntur plures ideæ. » Similiter loquendo de Verbo, seu conceptu divino inquit D. Thomas I p. q. XXXIV, art. III ad IV, quod: « Nomen ideæ principaliter impositum est ad significandum respectum



ad creaturam, et ideo pluraliter dicitur: sed nomen verbi principaliter impositum est ad significandum relationem ad dicentem, et ex consequenti ad creaturas, in quantum Deus intelligendo se, intelligit omnem creaturam, et propter hoc in divinis est tantum unicum verbum. » Itaque secundum hanc doctrinam D. Thomæ ex diverso modo significandi in hoc nomine idea, et in hoc nomine attributum vel verbum seu conceptus sumitur multiplicatio in uno, et non in alio; et quod plures ideæ non dicantur plura attributa, quia ly attributum significat directe perfectionem aliquam, prout ex parte ipsius Dei se tenet, et ipsum afficit, quasi forma illius, et similiter ly verbum, aut conceptus significat id quo formatur intellectus in ratione cognoscentis: idea autem in ratione formæ idealis non significatur ut forma intelligentis, sed ut forma ideati, quia prout sic significat officium formæ extrinsecæ, et exemplaris, non formæ intrinsecæ, et inhærentis: sic enim significatur nomine conceptus, seu verbi. Quare ut significat officium, et munus ideæ, non significat formam attributalem, quia non significat formam ut informantem Deum, sed ut formantem creaturas, et sic multiplicatur juxta accommodationem ad ipsas.

LII. Unde patet ad replicas argumenti, nam beatus licet videat realitatem omnium idearum, quatenus una est, et in quantum habet rationem formæ intrinsecæ in intellectu divino, non tamen penetrat omnes respectus imitabilitatis ad creaturas, nec omne exercitium, et explicationem earum in ratione formæ extrinsecæ, sicut nec in ipsa omnipotentia Dei penetrat omnem respectum ad creaturas posibles, ita quod totaliter, et sub omni explicatione eam

videat, licet omnem realitatem omnipotentia videat, sicut ego video oculos alterius, et non video omnes colores quos potest oculus videre. Similiter non potest dici quod idea hominis est idem equi, quia in ly idea hominis, semper fit specialis significatio, vel appellatio ideæ sub formalitate, et officio formæ extrinsecæ ut correspondentis, et applicatæ ad creaturam determinatam, et sub hac ratione, et significatione idea unius non est idea alterius; potest tamen concedi quod realitas ideæ hominis est realitas ideæ equi, sicut conceditur absolute quod misericordia est justitia, non tamen quod attributum misericordiæ est attributum justitiæ.

LIII. Ad confirmationem respondetur quod relatio dominii est una, quia fundatur super potentia divina, qua creat Deus, et gubernat res ad extra, quæ potentia una est, et sub unica ratione formali respicit creaturas, sicut scientia, et ars in Deo, quia omnia ista significant attributa se habentia erga creaturas per modum primi principii efficientis: principium autem efficiendi semper significatur ut forma intrinseca ipsius causæ, quia eadem forma aliquid est, et operatur: idea vero sub formalitate, et officio ideæ non significat formam ut intrinsecam Deo, licet hoc præsupponat, sed ut extrinsecam ideato, et ideo multiplicat respectus ad diversa ideata secundum diversas formationes eorum, relatio vero dominii non multiplicatur propter multas creaturas, quia omnibus unico modo denominatur, sicut unica potestate gubernat.

LIV. Tertio, arguitur ad probandum respectus rationis ideales formari actu ab intellectu divino: Nam imprimis facit ad hoc auctoritas D. Thomæ, tum in præsentis articulo II ad III, dum inquit: « Causari ab intellectu divino, compa-

rante essentiam suam ad res, » tunc autem causantur actu ab intellectu, quando actu intelliguntur, et per modum comparisonis. Et solutione ad quartum, dicit hos respectus esse intellectos a Deo; idem autem est in eis esse, quod intelligi: tum in quæstione III de verit. art. II ad VII, ubi dicit quod: « Illi respectus nonsunt temporales, sed æterni in Deo, » et solutione ad octavum, quod: « Sunt in Deo ut intellecti ab ipso. » Si ergo ab æterno sunt intellecti ab eo, ab æterno habent cognosci, seu intelligi, quod est habere esse actu, et formari. Deinde probatur ratione, quia Deus debet proprie cognoscere ens rationis per ordinem, et connotationem ad ens reale, cognoscit etiam ens rationis ut formatum a nobis: ergo habet sufficiens principium formandi ens rationis. Patet consequentia, quia ad formationem entis rationis non amplius exigitur quam quod denominetur cognosci, quia ejus esse solum consistit in ipso intelligi, non autem requiritur quod ens rationis judicetur esse ens reale, hoc enim esset falsum, et ita si hoc requireretur ad formationem entis rationis, nec nos possemus illa formare, nisi per falsitatem. Neque etiam requiritur quod intellectus formet, et fingat aliquod ens reale, ad cujus instar formet ens rationis, quia sic tale ens reale fictum esset minoris entitatis, et cognoscibilitatis, quam ens rationis. Sufficit ergo quod cognoscatur ens rationis per connotationem, et ordinem ad aliquod ens reale, ut dicatur formari per intellectum. Antecedens autem probatur, nam quod Deus cognoscat ens rationis per connotationem ad ens reale constat, quia Deus cognoscit mala, et privationes per opposita bona, et sic docet D. Thomas quod cognoscere unum per aliud, quando per se, et ratione sui non habet cognoscibilitatem, non est

imperfectio: cum ergo ens rationis, malum, et negatio non habeant cognoscibilitatem per se, sed per ordinem ad ens reale, tali modo cognoscuntur a Deo. Similiter quod cognoscat ens rationis ut formatum a nobis, dubitari non potest, quia cognoscit omnes actus nostræ imaginationis, et intellectus: ergo quidquid per illos fingimus, et cognoscimus ut objecta.

LV. Confirmatur ex p: Vasquez disp. illa CXVIII, nam illud esse objectivum quod habent entia rationis in nostro intellectu, etiam habent in intellectu divino, quia ab eo cognoscuntur, et illud esse objectivum quod habent ab intellectu divino, integre, et solum habent ab illo: ergo intellectus divinus aut format, aut continuat illud esse objectivum, quod habebant in intellectu creato, et consequenter etiam ens rationis habet esse ab intellectu divino, quod est formari ab eo. Similiter ante intellectum creatum format intellectus divinus ens rationis, quia antequam intellectus creatus fingat, intellectus divinus illud intelligit, cum ab æterno cognoscat intellectus divinus id quod format in tempore intellectus creatus: ergo antequam intellectus creatus formet ens rationis, a solo intellectu divino formatur, quia ab eo solo dependet, et intelligitur ab æterno: ergo tunc solum est cognitum ab intellectu divino: ergo ab illo solo habet intelligi, quod est formari tale ens rationis.

LVI. Respondetur ad primum locum D. Thomæ, quod quando dicit illos respectus causari ab intellectu divino, ly causari est idem quod fundari: a fundamento enim etiam causatur relatio, et illi respectus proximè fundantur in ipso actu immanente intellectus divini, non in mutatione rerum ad extra, ut supra diximus. Quando autem dicit id fie-



ri ab intellectu comparante essentiam suam ad creaturas, jam supra diximus quod ista comparatio non est formalis, seu ad instar relationis facta, sed eminentialis, quatenus cognoscit essentiam suam ut imitabilem a creaturis, non ut relatam, quia in se relata non est; non formatur autem relatio rationis in divina essentia nisi ipsa consideretur ut relata, quod quidem nos facimus, qui eminentiam illam Dei ad creaturas non nisi per relationem intelligimus, et explicamus. Similiter cum dicit quod illi respectus sunt intellecti, a Deo sensus est quod sunt intellecti, non sub modo relationis, et ad instar illius, sed sub modo essentiae divinae ut imitabilis, et eminenter se habentis erga creaturas, non relate. Et hac ratione explicatur secundus locus D. Thomae quando dicit quod illi respectus sunt æterni, id est, ab æterno intellecti: sunt enim intellecti ab æterno in suo fundamento, non in se formaliter, quia non intelliguntur a Deo per modum relationis, seu essentiae suae ut relatæ, sed per modum eminentiæ quam habet erga creaturas, quæ eminentia non est relatio, licet sit fundamentum ut a nobis intelligatur per modum relationis. Et hunc esse sensum D. Thomae deducitur ex ejus verbis quæstionis III de verit. art. II, ubi postquam dixerat solutione ad VIII, quod illi respectus sunt in Deo ut intellecti ab ipso, et non ut respectus reales (id enim intendebat argumentum) subdit solutione ad IX, quod: « Quamvis respectus intellecti a Deo sint multi, in quibus pluralitas idearum consistit, quia tamen omnes illos per suam essentiam intelligit, intellectus ejus non est multiplex, sed unus. » Sentit ergo s. doctor quod illi respectus non cognoscuntur a Deo ad instar relationis, sed per essentiam suam,

quam utique non potest considerare ut relatam ad creaturas formaliter, id enim esset considerare illam sub imperfectione quam non habet, quia relatio formalis dependentiam dicit, et imperfectionem, si est ad creaturas, sed considerat illam ut in se omnino absolutam, et solum eminenter se habentem erga creaturas, quæ eminentia non est aliud quam ipsa imitabilitas essentiae divinae ad creaturas, in se omnino independentis, et creaturas a se dependere faciens; sed hoc est non formare relationem rationis, sed fundamentum ejus considerare, quia hæc non formatur ad instar eminentiæ divinae, sed ad instar relationis formalis, quæ cum sit ad creaturas, non reperitur in Deo, neque ad instar illius essentiam suam Deus considerat; quia hæc esset imperfectio utpote cognitio cum connotatione ad aliud ad cujus instar cognoscitur. Eodem modo loquitur D. Thomas in I, dist. XXXVI, q. II, art. I ad I, ubi inquit quod: « Quamvis relationes quæ sunt Dei ad creaturam realiter in creatura fundentur, tamen secundum intellectum etiam in Deo sunt, intellectum autem dico non tantum humanum, et angelicum, sed etiam divinum, et ideo quamvis creaturæ ab æterno non fuerint, tamen intellectus divinus ab æterno fuit intelligens essentiam suam diversimode imitabilem, et propter hoc fuit ab æterno pluralitas idearum in intellectu divino, non in natura ipsius. » Ecce quomodo D. Thomas ponit fuisse ab æterno respectus istos ideales in Deo, scilicet quia fuit ab æterno intelligens essentiam suam ut imitabilem a creaturis; et propter hoc fuit ab æterno pluralitas idearum. Si propter hoc, ergo non fuerunt ab æterno isti respectus ut intellecti formaliter ad instar relationis, quod requiritur ad formationem illorum,

nec intelligendo essentiam ut relatam, et ordinatam formaliter ad creaturas, hoc enim esset imperfecte illam attingere, sed intelligendo illam ut imitabilem a creaturis, quæ imitabilitas per modum eminentiæ super creaturas se habet, et a Deo intelligitur, non per modum relationis formalis, et tendentiæ, quod est solum intelligi a Deo illam pluralitatem idearum, seu respectum in suo fundamento proximo, id est, in ipsa essentia ut imitabili, et ut eminenter se habente ad creaturas, non in sua relatione formali, id est, in essentia ut formaliter relata ad creaturas, sicut nos intelligimus quando illam eminentiam imitabilitatis divinae consideramus.

LVII. Ad rationem argumenti respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicitur quod non sufficit ad formationem entis rationis, quod denominetur cognosci quomocumque, etiam per connotationem ad ens reale, sed quod denominetur cognosci denominatione cognitionis fictæ, seu fingentis, id est, apprehendentis per modum entis id quod in se non est ens, et sic beneficio intellectus dicitur ens: sic enim fingitur, seu formatur ens rationis, quia quasi vestitur entitate quam non habet, ut præcedenti tomo, disp. XVIII, art. IV, ostendimus. Ad hoc autem non requiritur quod intellectus judicet ens rationis esse ens reale, hoc enim judicium est falsum, sed quod apprehendat ad instar entis, vel relationis id quod non est ens, nec relatio, et hoc non est falsum, quia non est judicium, sed apprehensio ad instar, et ideo imperfecta, quia ad instar alterius. Unde ipsum ens reale non est id quod fingitur, nec redditur minoris intelligibilitatis quam ens rationis, sed id quod in se non est ens redditur fictum per hoc quod ad instar entis realis cognoscitur. Dupliciter

autem potest intelligi quod ens rationis, seu non ens cognoscatur per ordinem ad ens reale; uno modo per connotationem ad ens reale vel connexionem cum ipso, quam naturaliter habet, et sine beneficio intellectus sicut privatio connotat suam formam oppositam quam tollit, et fundamentum unde oritur, hoc enim totum habet privatio ex se, et non beneficio intellectus. Alio modo intelligitur per connotationem ad aliquid reale, ad quod solum beneficio intellectus dicit ordinem, vel connexionem, quia ad instar illius apprehenditur, et ratione cujus id quod non est ens vestitur entitate apprehensa. Primo modo cognitio negationis, seu non entis non reddit formatum ens rationis, sed remanet negatio cognita intra limites negationis, prout se habet in re, non vero induit rationem entis in se, quod solum habet beneficio intellectus; in re autem habet connotationem ad ens reale, a qua non potest omnino absolvi, quia et tollit formam realem, et afficit subjectum reale cui convenit. Et hoc modo cognoscit Deus negationem ut negatio est in re per suam formam oppositam, nec tamen ratione entis, vel ente rationis illam vestit, quia forma opposita per ordinem ad quam cognoscitur, se habet ut forma ablata per negationem, non ut id ad cujus instar concipitur ut ens. Secundo vero modo formatur ens rationis, non quia præcise cognoscitur, sed quia tali modo cognoscitur ad instar entis; et sic ex beneficio intellectus consequitur quod sit ens, seu vestiatur entitate per intellectum, quam in re non habet. Unde non sufficit quod cognoscatur ens rationis ut formatum, vel formabile ab alio, quia sic supponitur formatum, et ut habens esse beneficio alterius intellectus; et consequenter solum redditur cognitum deno-



minative, et ut quod, seu tamquam ens jam præsuppositum, non autem ex vi talis cognitionis consequitur illi entitas quam non habet, hoc enim est formari, et accipere esse rationis ex non esse, sed intelligitur ea entitas quam jam habet, atque adeo tunc non accipit esse rationis ex non esse, sed esse jam acceptum quasi reflexe attingitur: ergo tunc non formatur.

LVIII. Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod intellectus divinus cognoscens ens rationis formatum a nostro intellectu non dat illi esse fictum, neque continuat illud quod dabatur ab intellectu nostro, quia non eo modo cognoscit quo intellectus noster, et sic non continuat, sed cognoscit esse rationis tam præsuppositum, et formatum, non autem format, neque fingit, sicut id quod est falsum, vel opinatum potest cognosci vere, et demonstrative, et denominari cognitum vere, et demonstrative, sic ens rationis ab alio formatum et fictum potest cognosci a Deo, non fingendo illud neque formando, sed solum reddendo cognitum denominative; et sic non continuat, nec format solus intellectus divinus id quod noster intellectus faciebat, vel facturum prævidetur, quia non eo modo facit, et apprehendit, quo noster intellectus.

LIX. Quod vero dicitur in argumento de intellectu divino cognoscente ens rationis antecedenter ad intellectum nostrum, respondetur quod non cognoscit illud ut formatum, ad instar entis realis antecedenter ad intellectum nostrum, vel existentem, vel futurum, vel possibilem, licet non semper requirat intellectum nostrum actu existentem, quia non semper intelligit illud ut actu formatum, sed potest intelligere illud ut formandum respectu intellectus futuri, sed ut possibile for-

mari respectu intellectus possibilis. Si autem intelligat Deus ens illud rationis, non ut formatum ab alio intellectu, non potest intelligere illud ad instar entis realis, quod est sua cognitione formare, seu fingere illud, propter imperfectionem quam involvit iste modus intelligendi, ut dictum est. Unde quoad hoc perinde est Deum ab æterno videre ens rationis ut formatum ab intellectu jam existente, vel futuro, vel possibili: semper enim Deus cognoscit ens rationis ut formatum, vel formandum ab alio, non per se immediate fingit, et format.

#### ARTICULUS IV.

*De quibus rebus Deus habeat propriam, et per se ideam.*

I. Licet constet quod omne quod est formatum et productum a Deo debeat habere ideam formativam ejus quod tali modo formabile est, de quibusdam tamen specialis est difficultas, utrum habeant de facto ideam in Deo, quia aliquantulum deficient a formatione divina. Et est difficultas de quinque generibus rerum. Primo, de pure possibilibus, quæ nunquam sunt, vel erunt, et sic de facto non sunt formata, seu ideata a Deo. Secundo, est materia prima quæ de se caret forma informante: ergo et ideante, quia id solum ideatur, quod formatur. Tertio, est malum, seu privatio, quia opponitur formæ qua privat: ergo et ideæ a qua est talis forma. Quarto, sunt accidentia quæ per se non sunt res formatæ, sed rei formatæ adjunguntur. Quinto, sunt individua quæ solum materialiter multiplicantur, non formaliter, et sic una idea, seu forma videtur pro individuis ejusdem speciei sufficere, non pro singulis individuis debet multiplicari.

II. Dico ergo primo: De pure possibilibus habet Deus de facto ideam, licet non habeat de facto executionem et exercitium ad extra talis ideæ, et quoad hoc non habet modum practicum, videlicet quoad efficaciam executionis, licet habeat virtutem practicam de se directivam et executivam ideati. Conclusio ista sumitur ex D. Thoma in præsentia articulo tertio, cujus ampliorem explanationem habet q. III, de verit. art. VI: in præsentia si quidem distinguit in idea duplex officium, scilicet quod sit principium productionis, et quod sit ratio cognitionis. Et primo modo dicitur exemplar, secundo modo ratio cognoscendi, potestque ad speculativam scientiam pertinere. Et primo modo, respicit idea ea omnia quæ secundum aliquod tempus fiunt; secundo autem modo respicit etiam ea quæ nullo tempore fient, secundum quod cognoscuntur a Deo per modum speculationis. Ubi prima facie videtur D. Thomas denegare Deo ideam practicam respectu rerum possibilium, et solum speculativam admittere; cum tamen nulla detur idea speculativa tantum, id est, quæ solum sit forma ad cognoscendum, et non ad elaborandum rem artificialem, quod est ideare illam, sed tollit modum practicum ab idea rei possibilis, quia caret exercitio, et executione, quæ est efficacia practica. Explicat autem hanc mentem suam S. doctor quæstione citata de veritate, ubi inquit quod: «Idea respicit practicam cognitionem non solum actu, sed habitu. Unde cum Deus de his quæ facere potest, quamvis nunquam sint facta, habeat cognitionem virtualiter practicam, relinquitur quod idea possit esse ejus quod nec est, nec fuit, nec erit, non tamen eo modo, sicut est eorum quæ sunt, aut erunt, aut fuerunt, quia scilicet respectu horum habet propositum voluntatis non respectu

aliorum.» Ecce explicatam mentem D. Thomæ ex ipsius verbis, dum fatetur, quod etiam respectu possibilium datur idea virtualiter practica, id est, virtutem practicam habens, quod ad essentiam ejus pertinet, licet careat proposito voluntatis, quod pertinet ad efficaciam applicationis, et executionis ejus; et sic vim formativam, et directivam, quæ ex parte intellectus se tenet, ibi habet, solum vero caret eo quod ex parte voluntatis se tenet, quod non pertinet ad vim formativam, sed ad executivam, seu applicativam ipsius ideæ.

III. Ex hoc autem deducitur fundamentum, et ratio conclusionis: nam respectu possibilium Deus habet vim formativam et ideativam eorum, sicut et omnipotentiam productivam: plura enim potest Deus facere, quam de facto fecit, aut facturum est, et ad id habet virtutem: ergo etiam ideam, si quidem cognoscit ea quæ potest facere, et modum quo potest facere, et quod illa solum per intellectus directionem, et artificium factibilia sunt; sicut omnia ea quæ creavit: ergo format ideam de illis. Patet consequentia, quia idea non est aliud quam forma per intellectum expressa, et formata, ut ad ejus instar aliquid fieri possit, et de modo quo fieri possit, sicut artifex creatus potest veram ideam formare de re quam nunquam intendit facere; sic Deus cognoscit plura quæ facere potest, et modum quo formare potest, licet non velit formare: habet ergo vim formativam ex parte intellectus: neque enim hanc libera voluntas constituit, cum pertineat ad perfectionem Dei habere vim formandi omnem creaturam quam potest, et sic necessario ei convenit talis vis formativa, et ideativa, et ex illis eligit, et determinat facere quod vult: non ergo per determinationem liberam